



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De canone Missae, cap. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE CANONE

saltem, quid adhuc paucula respondeat, & responsum eius trans mitte mihi, ut indicem tibi ultra quam bene responderit.

De Canone Missæ.

CAPVT XXVI.

IN extremo furore sacræ Canonæ Missæ multis & blasphemis & calumniis Teuthonicè infectatus est Lutherus iam totum ferè triennium. At ante condénationis suæ sententiam, semper cum laude & reuerentia memin it eius, & xv. annis eò religiosè usus est in sacrificio altaris. Post cōdemnationem verò cœpit cauillari contra eum aliquot libellis, non tamen reiciebat totum, sed exponebat, iuxta cerebrosum caput suum falsis glossematis, donec tandē perfricta fronte, velut meretrix deplorata, totum reiecit & contempsit, & quidem iniuriosissimè, iuxta illud Salomonis: Impius, cùm in profundum venerit peccatorum contemnit. Vsu itaque religioso approbavit eum annis quindecim, ut ipse fassus est. Et in tertio præcepto ait, præceptum esse Canonem Missæ, qui solus proprie est (ut ait) Missâ pressa voce legi, ne audiatur. Cætera autem sunt (inquit) orationes & paramenta ad Canonem Missæ. In captiuitate autem Babylonica, ut Canonem seruaret, docuit (licet falso & malè) sacerdotes, qui sacrificant, ut verba

Prov. 18.

De X. præceptis.

In Cap. Babylonica. cap. de Eucharistia

Canonis maioris & minoris cū Collectis, quæ apertè nimis sacrificiū sonāt, dirigant, non ad sacramētum, sed vel ad ipsum panem & vinum cōsecrādū, vel ad orationes suas. In libro verò de abroganda Missa, adhuc improbior factus, sacro Canonis sacrilegis illudit improperiis & calumniis, dicens. Et quanquam habeam quod pro sano sensu Canonis dicere possim, quod & aliàs feci (inquit) tamen nunc non dignabor eum tali honore, sed gloriam dabo plenissimè Euangelio, iadubitata fide ei in-hærendo. Et iuxta regulam Iuris peritorū, verba obscurè loquētis, interpretabor cōtra eum, nō pro eo, dicāque ei iuxta parabolā, domine Canon, vos estis inuitati ad nuptias, & sedistis in primo loco, &c. In Barrabico autem furore suo de abominatione Canonis, ita concludit. Ecce hīc sacrum Canonem audisti, vt scias, quid nā sit, & obstupescens, cruce te signes, fugiens ab eo haud secus atque à Diabolo. Cū igitur per verbum & gratiam Dei ista abominatio venerit in lucem, & eius stultitia omnibus manifestatur, sicut ait Paulus j. Timo. iij. quod magna meretrix Babylonica, & retrò & ante detecta est: debemus Deo gratias feriò agere: Deinde ferio orare, vt eiusmodi abominationem in toto mundo auferat & extirpet. Nisi enim rogauerimus, & gratos nos ei exhibuerimus, ac effecerimus vt malum hoc minuatur, sed permittimus, nomen eius sic dehonestari, nos quoque parem

De abroganda Missa.

De abominatione Canonis.

DE CANONE

& culpam & pœnam cum illis portabimus. Potestas enim publica tenetur huiusmodi manifestam blasphemiam Dei prohibere ac punire. Si verò tolerat & conuiuet, vbi prohibere possit. Deus tamen non conuiuebit, sed horrenda seueritate corripiet ambos, & blasphematores & eos qui cōsentiunt illis. Vide quæso, (Illust. Princeps) quantò furore ac mentis cæcitate agitetur impius fidei Ecclesiasticæq; militiæ & religionis desertor. Si quæras ex eo, cur nūc reiiciat ac infectetur sacrū Canonem, quo tam diu religiosè vsus est, in celebratione Missarum, in quo & bonas fatetur esse præces in noua sua Missæ formula, & quo omnes retro sancti patres religiosissimè vsi sunt, hodièque tota per orbem Ecclesia eò incessabili religione ac pietate vtitur: Non aliud, credo, respondebit, nisi quia ex missa oblationem hostiam & sacrificium facit. Quam iusta autem sit hæc eius causa, qua seipsum destruit, supra de sacrificio dictū est: Fingit Canonem contrarium esse Euangelio, quod missam solū sacramentum & testamentum dicat, non sacrificium. Cæterum si quæras, vbi sic scriptum sit, in æternum non ostendet, fateatur autē oportet (sicut fassus est aliquando) hoc vocabulū Missa, in Euangelio nusquā haberi, Hebraicè autem significare munus quod offert superiori. Quid ergo aliud facit, dum negat, Missam esse sacrificium, quam si neget sacrificium esse sacrificium? Missa enim He-

braicè, sacrificium significat. Ceterùm, hac de re copiosè responsum est ei à pluribus, sufficientissimè verò ab Episcopo Roffensi, & à D. Ioanne Eccio. Cur ergo scripta illorum non confutat, si victus esse nolit? Saltè respondeat tibi interrogaturo, quãdo ritus illè sacratissimus consecrandi panis & vini in corpus & sanguinem Christi, primùm cœperit dici Missa & sacrificium? à quo Papa, aut à quo Concilio? Certum est autem (quicquid effingat ille) semper & vbique in vniuersa Ecclesia Missam pro sacrificio habitam esse, hodièque haberi ab omnibus Christianis. Si ergo eam negas sacrificium esse, Lutheranus es, non Christianus: Diocletianus, non Constantinus aut Theodosius. Quid factururus es quæso, si quis tuorum siue rusticus, siue ciuis aut nobilis mulierem aliquam xv. annis pro vxore agnouisset, idque constaret toti Ciuitati, quod ipsemet quoque fateretur: Ductus autem vel pœnitentia, vel odio, post xv. annos abnegaret vxorem illam, quamuis tota ciuitas attestaretur & sciret, eam eius vxorem esse, & pro vxore tamdiu cognitã. Quid, rogo, illi dicturus aut factururus esses? Si ergo hoc non licet in vxore, quantò minus licere debet in sanctissimo sacrificio & sacro Canone, vbi non vna Ciuitas, sed totus orbis, non solùm per xv. annos, sed per xv. tota sæcula, constantissimè testimonium perhibent contra impudentè impiùmque abnegatorem istum.